


DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
GONORRHÆA
VIRULENTA
QUAM
SUMMI NUMINIS AUSPICIO
ET
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU
PRO LICENTIA
GRADUM, HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE IMPETRANDI
SOLEMNITER DEFENDET
M I C H A E L P I B A U L T
EX FANO SANCTI AMANDI, BITURIX.
DIE VI. AUGUSTI MDCCLXXIX.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI
Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.



DEO
OPTIMO,
PATERIÆ
ET
AVUNCULO CHARISSIMO
SACRUM.



An in omni gonorrhæa ab impuro concubitu mercurius?

PROœMIUM.



Dum glorianter quotidie medici aut chirurgi
se fætum absque mercurio finem gonor-
rhæis imposuisse; hujus metalli usum qua-
lempcunque plane necessarium contendunt
alii, neque quempiam gonorrhæa laborantem statuunt
posse absque periculo illius usura defraudari. Difficile qui-
dem est tantas componere lites: sed quoniam labor ominia
vincit improbus; idcirco movetur quæstio, quam omni
cura, quantum permittit temporis ratio, tractandam sus-
cipimus.

Ne autem in materie adeo momentosa procedamus
absque ordine, & sic a scopo deflectamus; hæc erit dis-
serendi norma: explanatis gonorrhææ venereæ speciebus

A

diversis, investigabitur seorsim unaquæque species cum suis indicationibus: tum proponentur variæ medendi methodi; & illarum securior ratiocinio, auctoritate, atque, si fieri possit, observatione confirmabitur. Res est profecto multi sudoris; at non tenuis gloria, si adfitterit scribenti veritas, & plurima tetrae luis pericula in posterum a genere humano removeantur.

§. I.

Morbus plane novus, ex quo oritur, in omnem symptomatum sibi proprietatum multitudinem non efflorescit continuo, sed labentibus annis alia aliis succendentia, saeppe mira prodit. Hujus asserti veritatem mirandum in modum comprobat lues venerea, quæ vix non quadraginta annos in Europa ante grassata est, quam gonorrhæa ipsius chorum secuta fuerit a).

Visa autem est tunc temporis duobus modis plane diversis hominem aggredi; ut duplicum ejus speciem autores discreverint; alia nimirum vocatur ab ipsis *sicca*, alia vero *humida* appellatur.

In gonorrhæa *sicca* adest in viris mox prostatarum ac vesicularum seminarium inflammatio, quam comitantur mordax inter mingendum ardor; mox occupat totum urethræ tractum phlogosis erekspelatodes cum urenti dolore, qui lotio præterfluente excitatur. Nullus tum fit puris aut feminis effluxus juxta SAUVAGESIUM b), aut si fiat aliquoties, juxta ASTRUCCIUM c) est paucissimus.

a) Juxta JACOBI A BETHENCOURT descriptionem, videretur gonorrhæa adhuc citius incepisse; trigesinta nempe annis post luem venereum.

b) In *Nosologiae methodicæ* Tom. II. p. 389.

c) Vide ejus tractatum de *Morbis venereis*, Tom. I. Lib. 3. Cap. 30. in initio pag. 282.

Eadem in feminis sese exhibent, mutatis mutandis, symptomata; alias enim inflammantur glandulæ principio urethræ affidentes; alias glandulæ per vaginam & vulvam disseminatæ phlogosi ante dicta afficiuntur; ut absque ullo fluxu purulento vel interdum paucissimo mulieres dira semper vulvæ tentigine ardeant, cum acri dolore & importuno d).

Gonorrhæa humida in utroque sexu symptoma præse fert, quo facilime a sicca discriminatur: & vero paucis post impurum concubitum diebus mandent insolito humore genitalia; stillat ex iis liquor purulentus & acer, varios per intervalla colores induens, quem verrit interdum urina miſtionem dolorificam procreans: foedum illud stillicidium profecto gonorrhææ humidæ characterem imprimit cuvis nullo labore dignoscendum.

§. II.

Hæc porro gonorrhæa humida in multas rursus species subdividitur, quarum sedem summatim assignare cum symptomatis operæ pretium fuerit. In hoc adjungemus comitem duci BOERHAAVIO SWIETENIUM, aliorum auctorum sententiam interea addituri.

Prima species sedem habet in balano, juxta illorum mentem e). Virus semel ad glandis interiora raptum, reddit fungosam ejus substantiam; & qua parte ingressum sibi paravit, ea molitar exitum, sub forma humoris lymphatici, subviscidi, purulent transudando; atque præputium corruptum, tabidum, vel etiam sideratum quandoque sifit. Coincidit hæc gonorrhææ species cum ea quam

d) Ibidem p. 286.

e) Ibidem pag. eadem, §. 2.

ASTRUCCIU^s f), FABRE g) aliique spuriam vocaverunt.
Hanc olim SYDENHAMO, VERCELLONO, MASSONIO ob-
servatam videre nunquam contigit.

Sedem in urethræ cellulis habet species secunda, multo
tis visa mihi & curata. Exsticcat sub ea tabus venereus
plurimus, diverso colore variegatus, & variam consisten-
tiā induens. An autem per poros glandis insinuaverit
se se morbificum miasma usque in urethræ corpus caver-
nosum, & ex eo illo per vesicæ canalem stillaverit, quem
admodum affirmat SWIETENIUS h); dubium sane movet
tam ipsa virus venerei volatilitas, quam totus urethræ
perviae tractus in variis partibus aliquando laesus. Ut enim
facilior videtur per urethram quam per poros glandis in-
organicos materiæ venereæ aditus; ita lœditur & inflam-
matur aliquando urethra in medio, quin ex ipso penis
apice pus exprimatur. Illud ter quaterve in gonorrhœis cu-
randis observavisse me audacter asseverare possum. Acce-
dit insuper illud quod a sola virus irritatione secretio muci
in urethra augeatur aliquando mirum in modum, adnotante
SHARPIO k): tunc autem erosio virus per balanum
descendente peracta non potest mucoso stillicidio vel pu-
rulento locum dedit. Sexcentas alias rationes huic opini-
oni adversas libenter omittimus.

Quando ad glandulas urethræ, antiprostatas aliis,
aliis Cowperianas dictas, penetravit virus, atque per emif-
faria illarum purulenta materies se in urethræ cavum ex-
onerat; tunc morbosus ille status tertia species gonorrhœæ
nuncupatur i). Atvero hanc materiem neque plurimam

f) *Traité des maladies vénériennes*, Chap. 2. pag. 37.

g) Vide ejus *Commentariorum in H. BOERHAAVE Aphorismas*
Tom. 4. pag. 421. & seq.

h) SHARP. *critical inquiry of the present state of Surgery*, pag.
133. & seq.

i) In *citatis Commentariis*, & quidem Tom. 4. pag. 425.

* * *

excerni debere, neque vix alio tempore quam sub mictio-
nis finem egredi facile animo intelliget, qui sedem morbi
& acceleratorum muscularum actionem noverit.

Datur quarta species, adhuc prædictis periculosior *k*),
cujus sedes in prostata. Dum durat, hospitium suum ta-
befacit virus, & glandulam, ut ipsis SWIETENII verbis
utar, in abundantissimum pus virulentum resolvit. Eructa-
tur autem cum pure mucus prostaticus, in initio copio-
sior, & ingravescente morbo necessario minuitur, quo-
niam muci officina contabescit. Obtulit semel casus illam
speciem, cui, fortunatis ægri rebus, medelam attuli.

Quotquot sunt omnes prædictæ, eas periculis injectis
superat quinta species: hinc dicitur SWIETENIO abomi-
natissima *l*). Hæc prostatarum & vesicularum seminaria-
rum emisflaria rodit; hæc vesiculas ipsas in suis usque an-
fractibus depascitur, & largissimum foedi humoris proflu-
vium dum creat per urethram, vicinis undique partibus
diram labem allatura proserpit.

Variant sane in mulieribus, sed totidem adsunt go-
norrhææ hospitia, ut totuplicem apud illas speciem ad-
misserit immortalis ASTRUCCIU. Modo enim sola vulvæ
facies *m*), modo cellulæ per urethræ faciem dispersæ *n*),
modo prostata quæ urethram ambit *o*), modo glandulæ
Cowperianæ in perinæo prope anum sitæ *p*), modo
cryptæ mucosæ per vaginam racematim consitæ *q*), ex-
forbtum virus cum humore purulento revomunt; quo
fœde madent seminarum muliebria.

k) Ibidem pag. 427.

l) Ibid. pag. 428.

m) Vide illius tractatum p. 287. Tom. I.

n) Ibid. pag. 247.

o) Ibidem.

p) Ibidem.

q) In eadem pagina.

§. III.

Harum omnium gonorrhææ specierum dantur differentiæ quædam accidentales, hic recensendæ.

Differunt propter inflammationis gradum; qui alias levis est, cum calore, tumore, dolore non valde conspicuis; interdum autem omnia hæc symptomata exhibet ob vehementiam terrifica. Hinc *benignæ* vel *malignæ* appellantur.

Differunt propter inflammationis exitus: vel enim resolvitur gonorrhæa, vel in suppurationem abit, aut in scirrum gangrænamve terminatur. Inde variæ denominations: quibus fidem faciunt vix non omnia de hac re auctorum monumenta.

Differunt ratione durationis mali; aliæ siquidem gonorrhææ in ipso suppurationis actu fluere cessant, variis præternaturalibus symptomatis in conspectum prodeuntibus; tuncque FABRE r) dicuntur gonorrhææ *abortivæ*; aliæ autem cum diurno fluxu stipentur annos duraturo, vel subinde recurrente, *habituales* nominantur.

Differunt quoad existendi modum: quandoque nimirum *simplices* sunt, & unam tantum sedem, de qua supra, occupatam retinent; interea sunt *compositæ*; quoniam multiplex est eodem instanti earum domicilium; vel etiam successiva labore varias partes deturpando, virus ad nova identidem hospitia graffatur.

§. IV.

Hæc præmittere generalia necesse fuit antequam problematis nostri solutionem aggrederer. Ut autem ancipiti hucusque disputationi clara lux brevi affundatur, jamjam ad singula descendamus.

r) In opere citato pag. 37.

QUÆSTIO PRIMA.

An mercurius in gonorrhæa sicca?

Liceat istius gonorrhææ speciei symptomata nunc alius rimari; neque enim datam antea definitionem retrahabimus, ex qua patuit sedem ejus modo in prostata esse, modo in solo urethræ tractu.

Dum autem primum locum morbus occupat, non solum adeisse debet tumor, dolor, calor, rubor, & pulsationis sensus in perinæo; sed quia *proximus* quandoque *ardet ucalegon*; ideo compressis venis turgere debet penis & inflammari. Non mirum si tunc temporis neque exeat per emissaria sua semen, neque prostaticus humor, neque forsan urina; aut si hæc emittatur, vel effluat gutta tem, vel cum ardore & difficultate prodeat.

Dispar est paululum apud feminas symptomatum ratio, propter structuræ diversitatem. Videas nihil fecius ipsas, cum adeat prostatæ aut glandularum Cowperianarum inflammatio valida, tunc dysuria etiam torqueri vel stranguria: aliquando dolorem pati tantum ut vix federe possint vel ambulare; & dira etiam interioris vaginæ tentigine rumpi; cum tamen nullum adsit humoris effluvium aut paucissimum.

Si morbus occupet secundum locum; nullum tumorem detegit oculus vel tactus neque apud viros in perinæo, neque apud mulieres prope finem urethræ aut fossum naviculariem: sed illæsis cæteris genitalium regionibus, phlogosim experiuntur eresipelatodem, quæ apud alias internam urethræ fistulam, cum urinæ ardore, in aliis vero vaginam tantum obsidet cum dolore acri & valde molesto.

§. V.

Quemadmodum facilis est in utroque casu morbi no-

titia, post celebratum ab ægro concubitus impurum; ita prognosie est semper gravis & invisa: nimis quod portenditur a virus in prostatis vel CowPERI glandulis retentio periculum minimum, est ipsa partium suppuratione, non inflamatio in resolutionem cito abierit: penis autem aut vaginalis sphacelus haud raro ab éresipelite tantillum valido generatur.

De cætero quicunque sit illius morbi exitus, patet semper id ægro timendum ne sub resorptione lues venerea confirmetur vel oriatur, testante FABRE ^{s)}: patet etiam sub suppuratione aut gangræna huic eidem periculo topicala quoque vitia sese consociare.

§. VI.

Quæ tum remedia suaserint ægro propinanda auctores scire juerit.

Quid præscribebat SAUVAGESIUS ^{t)}? repetitas phlebotomias; immersionem penis in lacte tepido; fomenta emollientia ex decocto radicum altheæ, semenis lini; injectiones in urethram similes; noctu narcotica; interdiu potum emulsionatum nitratum: prætereaque nihil.

Quid præscribit ill. HOMIUS ^{u)}? venæflectionem, antiphlogistica, leniter laxantia, fomentationes; aquæ calidæ vaporem, cataplasma, injectiones emollientes; atque in hac therapeia subsistit.

Nulos hic addo ejusdem sententiae patronos, qui statim ac vident gonorrhœam nostram in suppurationem non vergere, sed resolvi, se scopum artis attigisse putant, neque quidquam ultra moliuntur.

§. VII.

^{s)} Ibidem p. 49. lignea 16 & 17.

^{t)} In opere citato pag. 390.

^{u)} In *Principes de Médecine* p. 375. §. 13.

§. VII.

Viam plane contrariam terendam esse contendit immortalis ASTRUCCII. Fatetur quidem ille inflammationem remediis idoneis oppugnandam esse; vix autem subfudere tumor, calor, rubor, uno verbo inflammationis symptomata, cum antivenerea adhibenda auctor est *v*).

Multos quidem, praeter virum celeberrimum auctores evolvi quoad gonorrhææ sicca medelam: cum autem nullus de illa quatenus post resolutionem curanda mentionem fecerit; ideo solius ASTRUCCII opinionem cum opinione plane contraria componere satius est, ut non auctoritate dumtaxat, verum etiam casti ratiocinii principiis mota lis dirimatur.

§. VIII.

Nimirum unanimi clinicorum suffragio constat luis venereæ specificum eo majori cura exhibendum, quo metuendum magis ne resorbtum virus intra corpus cohibeatur: aliter diras vel in toto passim corpore vel in aliqua ejus parte strages ederet serius, ociosus.

Negabit interea nemo in nostro gonorrhææ exitu virus resorptionem esse certissimam; tum quia nulla fit inflammationis resolutio quin stagnans materies ad humorum massam partim revehatur; tum quia moles, quæ stagnat, ipsa virulento miasmate infecta est.

Dum autem dividitur toti liquidorum massæ; dum solidis corporis omnibus & singulis postea distribuitur; dum inexplicabili specificorum remediorum vi non propellitur extra corpus; quem in hoc statu luis venereæ modo brevi, modo labentibus annis apparituræ expertem jure merito pronunciaveris?

Dum hæc loquor, ipsissima refero ASTRUCCII verba:

v) In opere citato Lib. 3. Cap. 3. pag. 286.

„Siquidem, ait, cum in hac gonorrhææ specie suscepimus virtus nullo modo effluat, sed intra totum corpus cohibetur; inde tanto diligentius attendendum est ut specificis remediis corrigatur & supereretur.”

§. IX.

Resorbtionem virus certissimam affirmavi: qua de re dubitare poterit nemo, si tum ad nullum post inflammationem solutam effluxum, tum ad omnia resolutionis media paulatim attenderit: etvero, quid aliud præstare debuerunt vapores aquæ calidæ, relaxando; fomentationes emollientes & injectiones ejusmodi partibus infectis applicitæ, contracta vasa remolliendo; iteratæ sanguinis missiones, cohibendo celeriorem ejus appulsum, & stasim revellendo? simplicissima & prurientibus criticis intacta artis medicæ principia hic proponimus.

Tametsi novam argumentandi rationem memorabo in Ill. COL DE VILLARS opere detectam ^{w)}, quæ videtur allegata refellere, nisi auctoris sententia posset faciliter negotio funditus everti: spectat illa ad venæfectionem. Fatetur quidem eam in gonorrhæa sicca fieri revulsivam; nullum tamen, ea celebrata, posse miasma venereum ipsis venarum osculis resorberi statut; quoniam brevi post illam temporis lapsu jamjam æqualiter distribuitur humorum massa; præterea suppurationi virus omne everenti mirum in modum hanc operationem favere asserit.

Quæ duo etsi affirmentur gratis in nostro casu, nihilominus ponderis nullius, quamvis vera, sapienti videbentur: etenim, instituta venæfectione, licet brevi restitueretur circulationis æqualitas, (quod tamen inflammatione superstite nunquam evenit,) an minus titubatæ qualitas illa dum sanguis emittitur? pudendæ igitur venæ,

^{w)} In Cours de Chirurgie T. 4. p. 196. & seq.

tunc temporis minus compressæ, sorbebunt virus venereum, atque ad humorum torrentem amandabunt.

Quin suppuration, quam falso reputari tanquam virus omne auferentem demonstrabimus, nulla ratione sit in certis casibus in quibus gonorrhœa sicca per resolutionem terminatur. Graffatur ergo intus tetra lues, in hac occasione saltem, & nisi debelletur specificis,

lentore tenax, multa inter eundum,

Hæredit membris ex sanguibus atque lacertis;

Inde graves dabit articulis extenta dolores ^{x).} ergo mercurius in gonorrhœa sicca necessario est adhibendus.

§. X.

Sequitur nunc

QUÆSTIO SECUNDA.

An eo pariter utendum in gonorrhœa humida cuiuscunque speciei, cum est abortiva?

Novam materiem ut dilucidemus, ad mentem auctorum & morbi symptomata denovo attendendum est.

Arbitratur porro auctores suppurationis ope illud semper fieri ut virus venereum e corpore eliminetur, & quo abundantior stillat puris copia, eo securius virulenta miasmata expurgari. Nullus est, quantum novi, auctor qui ab ea cogitandi ratione deflectat, si cum COKBURGIO ^{y)} recentissimos quosdam exceperis, quorum sententiam sumus versus dissertationis finem diligenter perpensuri.

Verum ipsa gonorrhœa dum sit abortiva, non est sane quod propter felicem virus expunctionem sibi plau-

^{x)} Vide *Aphrodisiacum*, & quidem HYERONIMI FRACASTORII de *Syphilide poema*, Lib. I. p. 187.

^{y)} Vide ejus de *Gonorrhœa virulenta opus*, Part. 2. Cap. I. pag. 85. & 86

dant veneris nepotuli; quam multa econtrario symptoma, quam varia diraque debent conqueri!

In prima specie, statim atque non amplius stillat balanus, aut ex eo exprimitur duntaxat aquosus humor; jam induruerunt emissariorum labia; crescit volumine glans; gliscit in cellularum penetralibus acrior materies, cuius pars sorbetur lente venarum osculis; pars alia in eo, quod occupavit, hospitio fixa remanens, vel phimosim, vel paraphimosim, vel cristallinam procreat; aut longo temporis lapsu quas lambit partes in massam quasi cartilagineam convertit, quam virus tandem, lacero pene, depascitur.... Dare potest etiam hæc species abortiva gonorrhææ secundam speciem; licet illud moris neque sit neque esse possit, quidquid contrarii afficuret præter omnem verisimilitudinem SYDENHAMUS 2).

Dum abortit illa species secunda; tum defluit ex urethra humor subpellucidus, perpaucus, indusium vix tingens: aliquando canalem suum prætergreditur cum difficultate urina; saepe volumine crescunt glandulae congregatae inguinum; aut si fluente virus jam turgebant antea, cum dolore intumescunt: alias fertur ad vesicularum seminalium & prostatae emissaria virus; & post perceptum caloris cujusdam mordacis in hac parte sensum, oriuntur mala quæ infra in quinta specie describentur.

Mirabitur nemo si multum materiei per penem non exeat in gonorrhææ specie tertia, tam propter glandularum Cowperianarum exiguitatem, quam ob longam ductum excretoriorum angustiam: quid igitur illius abortientis tempore effluet?... turgescit autem fons dum arescunt propter repagula rivuli; oritur circa ani confinia dolor neque extensus valde neque profundus; appetit identidem superficiarius tumor, qui calore aucto facile

2) In epistola de luis venereæ historia & curatione, T. I. p. 201.

transiret in abscessum, si virulenta materies suppressa in majorem acrimoniam degeneraret: lotii difficultatem producit hic tumor, licet exiguus.

Pejora sunt omnia in suppressione gonorrhææ cum prostatarum, tum vesicularum seminalium: tumor & dolor in toto perinæo adsunt, profundius sepulti: fentitur in scroti interioribus calor mordax; tenditur ductus defens & fit turgidulus; intumescunt epidydimis, testis, scrotum; vasa has partes irrorantia dilatantur; ponderis sensu adjungit se comitem dolor corrosivus & lacinans; accenditur febris; densa fit respiratio, & tussis dum urget, intolerabilem in scroto molestiam parit.

§. XI.

Sub iisdem abortientis gonorrhææ circumstantiis variat apud feminas malorum satellitum, neque, ut vera fatear, adeo periculosum est.

Turgescentia vulvæ, calor, dolor, levis erosio motum in incedendo reddunt operosum; frictionem labiorum pudendi acerbam procreant & effluentis cum murmure lotii acrem morsum, si torserit illas gonorrhææ prima species. In secunda, traseuntis per urethram urinæ dolor mordax quidem, sed fluxus simul difficilis, propter cellularum ejus intumescentiam.

Inde distat mali sedes in tertia, cum sitas ad perinæum glandulas afficiat: hæ autem prope anum sitæ retro vulvam, dum volumen amplius propter suppressionem fluxus adipiscuntur, vix quid aliud præter dolorem levem & subfidendi tenesimum debent excitare, ni urgeat inflammatio.

Dispar ratio est in quarta; nam rivos urinæ, quæ per canalem latum brevemque fluxu præcipiti emittebatur, si non cohibitus, saltem fit rivulus; & nymphæ nequeunt tam blando accessu sociari, quæ a turgidulis veneno prostatis amoveantur.

In quinta denique, quis glandularum vāginæ racemata
timi consitarum phlogosin cum dolore oolidam exprimeret?
Hæc enim fluida istis partibus humectandis destinata cum
virus retinendo, & calorem in loco ex se calido satis ad-
augendo, mephitum virulentam & corrosivam non potest
non generare.

§. XII.

Topica mala sunt, quæ memorabam: alia autem in
suppressis gonorrhæis totum corpus affigere visa sunt, aut
partes, vel a genitalibus valde diffitas, vel in functioni-
bus suis licet vicinis multum dissimiles.

Ex suppressa intempestive gonorrhæa non raro acci-
dit, ut cum viros tum feminas generis sui ophthalmia ad-
oriatur, oculis saepe exitialis: quamquam hanc a solo
materiae virulentæ attacū derivari posse testetur adole-
scens cujusdam spurca medicatio *a*). Priori tamen ra-
tione saepius oculos per metastasis inflammari, opacari
circa corneam, & ni auferatur conjunctivæ excrescentia,
cum humorum effusione in suppurationem aut gangrænam
vergere, autores sunt Cl. ERNDTELIUS *a*) & Cel. ASTRUC-
c CIUS *b*).

Passus est aliis ex gonorrhæa maturius suppressa um-
bilici exulcerationem cum virulento tabe fluente *c*).

Alius expertus est nasi scabiem, aurium tinnitus,
oculorum debilitatem, musculorum spasmaticos motus,
dolorem a genu ad pedes usque protensum, immo ur-
gentem in ipsis digitorum articulis *d*).

Incidit civis Patavinus in ulcus anum inter & testes

a) In opere citato §. 3, Lib. 3, Cap. 3, pag. 295.

a) *Warsavia physice illustrata* Cap. 6, pag. 193.

b) Ibidem pag. 289.

c) Vide STÖRKII *annum medicum secundum* pag. 221.

d) FABRE in opere citato pag. 51.

obortum , propter cohibitam gonorrhæam , quo tandem
malo victus & extictus est e).

Viennensis civis ob eandem causam „ dilapidatis
„ omnibus , genitalibus , femoribus , clunibus , horrendum
„ in modum exefis , sub dio repositus , dum nemo illum
„ domo recipere voluit ob intolerabilem foetorem , perit
„ quam miserime f).

Atque ut ad casus peculiares non descendam , quos
in auctoribus clinicis numerosos g) videre quivis poterit ;
quam multi diuturnis post gonorrhæam abortivam annis
omnis generis mala perpetui sunt , quæ venerea non suspi-
cabantur , quæ tamen non nisi mercurialibus remediis
cesserunt ; qualia sunt hæmorrhoides fistulosæ ; cephalal-
gizæ ; insomnia ; variæ ; pleuritides ; polipi ; dolores nocturni ,
osteocopi ; exostoses ; ad venerem impotentia h) ;
quot etiam exinde luem venereum per totum corpus di-
spersam reportaverunt !

§. XIII.

Cuncta hæc damna a gonorrhææ suppressione deri-
vanda facile intelliget quisquis varias talis suppressionis
causas attenta mente perpenderit . Certa inde mali labes .

Sunt autem nova cum mulieribus , etiam sanis , duella ,
potus spirituosi , gulæ irritamenta cum cibis assumpta ,
vigiliae , motus nimius , febris , purgantia fortiora , there-
binthinata , balsamica , injectiones adstringentes maturius
adhibitæ ; uno verbo , irritantia quæcunque partibus mor-
bo affectis applicita : hæc enim omnia vel virus retrudunt
ad Verumontani emissaria , ut alio serpat ; vel propter ve-

e) Vide *Aphrodisiacum* , pag. 1104.

f) Vide *Commentariorum* Tom. 4. pag. 429.

g) FABRE , DEIDIER , GOULARD nominasse sufficiat .

h) His exemplis abundat DE SAULT in suo opere quod inscribitur
dissertation sur les maladies vénériennes.

getum circulationis motum ad massam humorum trahunt
absque mora & alliciunt.

§. XIV.

Bubo vel nascens vel volumine auctus, testis dolens
& inflammatus, prostatarum & glandularum COWPERI,
durante fluxu sanarum, tumor valde molestus cum urinæ
difficultate & puris antea exiturientis absentia, dant dia-
gnosin suppressionis & effectuum ejus satis manifestam.
Verum ex quo multi lapsi sunt a gonorrhææ abortu anni,
cum invadunt morbi causa æquívoca oriundi, quam fano
opus est judicio, quam acri ingenii acie utendum Medico,
ut ad mali originem revehatur! In hoc ut in multis aliis
chirurgiæ partibus Celeb. PETITI industria luxuriabat.

Atqui omnem in genere gonorrhæam abortivam qua-
tenus causam luis venereæ suspectam habebat Ill. Vir, ne-
que immerito: jamjam fatalis illius efficaciam exempla re-
tulimus. Quare autem suspecta esse debeat quæcunque sup-
presio, illud idem nunc confirmet sana physiologia;
dummodo, post relata hucusque symptomata, hanc vo-
cem, *suspecta*, adhucdum trahere in usum liceat.

Etvero in omni febre paululum violenta, in omni
motu nimio quid accedit? Profecto circuitus humorum
motus intensior, ac proinde stagnantium liquidorum vel
viscosissimorum ad sanguinis torrentem resorbtio. Adipem
ipsum sub his circumstantiis exsorberi BOERHAVIUS jam-
jam confirmaverat ⁱ⁾. Quare igitur miasma venereum sub-
tile magis, licet viscosi, ut volunt, liquidis amicum,
non ascenderet ad cor, variis postea corporis partibus cum
fero dividendum? illud non video.

Quæ in medium adduxi, comprobat etiamnum ma-
teria

ⁱ⁾ In suo libro cui titulus *de methodo discendi artem medicam*,
pag. 705.

17

teria medica: qua enim ratione agunt adstringentia? aut cur illorum usum adeo reformidant in gonorrhæa nondum suppurrata omnes practici? quoniam nimirum partes, quibus admoventur, stringendo, materies effluxuras ad circulationis sistema adigunt. Hoc in eresypelate, herpete, variolis, morbillis, cæterisque morbis cutaneis toties locum habere visum est! infringi sane nequit lex in omnibus resorptionis casibus usitata, quoniam præsto est subadstringentium usu virus venereum.

§. XV.

Patet igitur ex dictis minime spernendam esse gonorrhæam abortivam; hanc econtra medelam eo efficaciori requirere, quo diutius confirmata sunt, quæ peperit, symptomata, vel partem adoruntur aut in textura sua delicatiorem aut in muniis magis necessariam. Testium sane & oculorum non mediocris ratio hic habenda est.

Neque tamen hoc in loco memorabo varias medendi methodos in lue confirmata suppressæ gonorrhææ pedis sequa in usum tractas; mercurii usus videtur tunc temporis adeo ineluctabilis, ut ea de re moveri quæstio non possit: hæc illa est praxis qua PETITUS olim utebatur, quæ utuntur hodie omnes boni. Ast in suppressa recens gonorrhæa quænam est hodiernorum & cogitandi & agendi ratio?

§. XVI.

Duplex quidem datur omnibus indicatio explenda; tum gonorrhæam suppressam renovare student, tūni symptomata tollere.

Quod ut præsent, alii balnea impendunt; fomenta ex emollientissimis parata peni & vicinis perpetuo applicant, dum partibus recens inflammatis admovent fomenta modice roborantia; simulque omnia ad inflammationis curam laudabilia suadent animose adhiberi. Hæc pro ocu-

C



Iis remedia impense commendat SWIETENIUS *k*): iisdem emplastra quædam resolventia addit, cum de testis vel bубonis cura agitur. In hoc autem celeberrimi viri praxis cardo omnis vertitur ut redeat per urethram fluxus; in hoc spes ejus tota reponitur, ut redeunte fluxu quævis nata inflammatio resolvatur. Ne verbulum quidem adjicit de mercurio.

Quod si spe sua exciderit, si in suppurationem abeant inguinum glandulæ; si in ophtalmia coecitatis periculum immineat; neque tum in primo casu mercuriale curationem præscribit cel. auctor, sed maturantia dumtaxat cum detergentibus; quin immo in secundo curam laudat antiphlogistica[m] unice, & mercurii viribus fidendum diffusat *l*).

Forsan alia dabit consilia in bubonum & testium scirrhis, vel dum prætumidæ circa absorptam quasi corneam conjunctivæ gangræna imminet? nequaquam: non enim ad mercurii efficaciam confugit magis; sed in scirrhis thermas vel cicutam vult adhibendam; & in summo oculi periculo operationem ab ASTRUCCIO commendatam plane rejicit, tanquam futuram ægrotanti fatalem *m*).

Forsan hic addendi essent auctores qui stant a SWIETENII partibus, tum qui ante illum in gonorrhœa suppressa mercurii usum aspernati sunt; tum qui eamdem, ac ille, opinionem profitentur tuenturque: quoniam autem omnes artis fastos evolvere, & singulos variorum lignorum patronos nomine suo indigitare æque inutile foret ac operosum; neque temporis angustiæ siverunt in infinita propemodum investigatione versari; rem totam ad eruditum in hac materie opus rejicimus, in quo re-

k) In opere & tomo citato, pag. 432.

l) Ibidem pag. 432.

m) Ibidem pag. 433.

censentur vix non quotquot fuere in lue curanda mercu-
rii adversarii *n*).

§. XVII.

Immortalis ASTRUCCII mens longe alia fuit in omnibus gonorrhæa suppressæ circumstantiis: non jam loquor de gonorrhæa jam dudum cito nimis suppressa, in qua mercurius vix non ab omnibus bonis celebratur; sed illam intelligo quæ non ita pridem fluere cœperat, cum fluxus exaruit: et si enim renovatus fuerit ille fluxus cum ægri euphoria; jubet tamen „ ut coeretur & reprimatur „ venerei veneni ferocia præparatis mercurialibus interne „ exhibitis, vel inunctionibus ex hydrargiro celerrime ad- „ ministratis: res ita se habere debet in oculorum inflam- matione venerea *o*): auctor est etiam ut, præmissis præ- mittendis, in usum advocentur antivenerea quæcunque interne sumpta & etiam externe in resolutione testis *p*): suadet in bubonibus ut curentur solo mercurialium & pur- gantium usu, donec resolutus tumor sensim evanescat *q*).

Quod si infarcta pars ad suppurationem ita proxime inclinet ut eo deducenda sit, vel si jamjam suppüret; „ in „ bubone nihilominus adhibebuntur, ait, in tota cura- „ tione præparata mercuralia, dosi quæ sufficiat ad virus „ venereum profligandum. Idem suadet in suppurato teste, si fistulosum ulcus remaneat; idem in teste partim vel totaliter scirrhofo; inunctiones quoque in perinæi abscessu, venereo præscribit suspensa manu repetendas cum unguento mercuriali *r*): in oculo cui gangræna proxime

n) Vide dissertationem ab Cl. BOEHM, Med. Doctore, conscriptam, in qua dilucidantur *variae syphilidis therapiæ*, Argent. anno 1771.

o) Vide in opere citato paginam 294.

p) ibid. p. 299.

q) Ibid. pag. 372.

r) Ibid. pag. 305.

imminet, cum mercurialia prius præcesserint, ideo operationem solam proponit.

Nimis multi hic essent nominandi qui tutantur ASTRUCCHI partes, singulos si assignare vellem: omitto igitur PETITOS, DE SAULTIOS, DEIDIERIOS, VILLARSIOS, GOULARDOS, GARDANOS; atque aliò vela do. Quoniam enim opus non horridum testimonii, sed casto potius ratiocinio innixum conscribere animus; ideo quæ præstet methodus, seposita citationum farragine, disquirendum est.

§. XVIII.

Ac primo quidem, quid causæ est cur mercurium in lue venerea a gonorrhææ suppressione oriunda suadent practici? sane quia huius præsentiam symptomata revelaverunt: probant igitur illam per resorptionem puris virulenti oriri posse: cumque multos annos sopiri queat ante virus quam in morbum erumpat; cum varias etiam induat larvas & omnis generis ægritudines mentiatur ^{s)}; ideo ut cuncta prævertantur dubia, mercurium satius est adhibere quam nullum.

Addo, si suppuratione quam renovare intendunt omnes practici, virus omne juxta quosdam auferret; a fortioriauferretur adhuc certius, cum fluente de novo gonorrhææ testis etiam vel bubo in suppurationem inciderunt: atqui tamen in primo casu mercurialia commendat SWIETENIUS ^{t)}.

Neque dixeris eorum usum dumtaxat suaderi, cum vulneris oræ occalluerunt, quoniam virus propter callos exiturire impos ad circulationis torrentem revehitur: namque si sub quocunque abscessu plus minus forbeatur pus exituriens; quare sub abscessu venereo idem non fieret, præsertim cum pus venereum viscosis succis facile accrescat?

Quinimum subministratur mercurius, quando cutem

^{s)} Vide DESAULT in opere citato pag. 144. 149. 183. &c.
^{t)} loco citato.

depascuntur ulcuscula virulenta , licet ea via materiæ venereæ exitum natura moliatur ; quare suppurante præter urethram parte alia denegabitur ?

Quando nutrix a tenelluo , quem lactat , puero infecta non mammas solum exulceratas experitur , sed sub aliis patitur tumores venereoſ ; huic misellæ absque mora præscribuntur mercurii præparata : an mutatur veneni natura , quia non mammas exedit & in axillis stagnat ; sed quoniam inhospitatur inguinibus & simul urinæ canalem vel nymphas depascit ?

At enim , ajunt , dum intumescunt testes , non defertur ad eos materia virulenta , sed in vesiculis seminalibus aut earum osculis folummodo remanet , quas porro a tabe vindicat renovata gonorrhæa expostulare tamen liceat , quam igitur ob causam mercurialia præscribunt in teste indurato post gonorrhæam suppressam ? aut cur exinde funiculi indurations venereæ , & ejusdem naturæ carcinomata ingruunt solis , dum tempus superest adhuc , mercurialibus debellanda ?

Præterea si resolutis cum mercurio bubonibus & testiculis , dirus plerumque & infidus remaneat nucleus luis venereæ seminum futurus ; quis virulentam materiem in hac parte nidulantem se expulisse gloriabitur hiante abscessu , si hæc excretio critica vel levissima mercurii actione destituatur ?

Res adhuc magis , facta contentione , inclareſcat . In mortu animalis rabidi , in vulnere venenatis armis inflicto , etiamsi suppuret solutio continui facta , & suppuratio virus , unanimi Clinicorum consensu , auferat ; internis tamen remedii quam prompte , quanta pertinacia instamus ! an quia dilectis armis influit venus venereum , minus sollicite propugnandum est antidoto fibi destinato , quamvis ex laſa parte sub variegati puris forma egrediatur ?

Ergo mercurius in gouorrhæa abortiva adhibendus eſt ,

& quidem eo impensiori cura, quod s^ep^e fiat illa habitualis. Ne autem anticipationis mihi inuratur macula;

§. XIX.

Prius instituenda videtur

QUÆSTIO TERTIA:

An mercurius in gonorrhæa habituali?

Triplicis generis sunt hæ habituales gonorrhææ: primum genus illas comprehendit, quæ, licet venereæ esse desierint, exstlicant nihilominus identidem, & diuturnum feminis naturaliter constituti vel liquoris albidi fluxum si- stunt Medicorum oculis. Novus morbus est hæc gonorrhæa, quæ virulentam exceptit, ac proinde a nostra quæstiōne multum aliena; immo mercurii usum refugiens. Hanc genitalium flaccida laxitas, rarus ad venerem stimu- lus, corporis marcor, languida ad erectionem momen- taneam potentia, phthisis atque tabes dorfallis comitantur. Sic facilis & expedita est ipsius distinctio a gonorrhæa ha- bituali virulenta u).

§. XX.

Duplicem istius speciem assignavi; vel enim est ejus- modi, quæ, dum videtur omnino sanata, ad levissimam occasionem reddit; vel talis, quæ fluxu non copioso qui- dem, sed tamen semper aliquali stipatur, cum colore ut plurimum viridescente.

Nec raræ sunt illæ gonorrhææ; non solum quia in- eptus & absurdus hoc in casu pudor in mulieribus, vel voluntarius error aut remediorum impatientia eas multi- plicant; sed quoniam familiare est quibusdam gentibus hunc effluxum virulentum floccifacere; si festivis MON- TESQUIOVII jocis fidem satis debitam adhibeamus.

u) Vide ASTRUC. T. I. pag. 305. & seq.

§. XXI.

Præter causas, quas modo indicavi, aliæ sunt, quibus vel continuatae vel subinde revertentis gonorrhææ existentiam acceptam referimus.

1°. Sæpe recurrit effluxus propter celebratum a nova cicatrice inducta coitum, vel masturbationem ante renovatam, quam cicatrix illa sufficierer induruerit: solvuntur siquidem de novo partes solidæ ob vim erectionis, & suppurationis virulenta denuo revertitur.

2°. Propter aliquem in rebus non-naturalibus excessum; Præprimis si vino, spirituosis potibus, salitis carnis vel ninio aromate conditis, motui plus satis valido, aut diuturnioribus vigiliis æger indulserit. Nascitur exinde in urethra inflammatio nova ob carnium teneritudinem, quæ favente virus residuo brevi in suppurationem abit.

3°. Alias redit propter phlogosin a menstruis aut haemorrhoidibus oriundam, quæ causa ab Ill. FABRE in medium adducta ^{v)}, non mihi videtur sæpe incusanda.

Quæ renovant malum hæc omnia, in causa pariter sunt, cur duret pertinaciter gonorrhæa. Præter has autem, alios etiam pertinaciæ fontes indigitant, inter quos locum fibi vindicant constantia in pravo regimine; assidua curiosorum ope digitorum penis expressio; labia abscessuum callofa; partium infectarum levis semper inflammatiuncula; virus herpeticum; menstruorum suppressio; leuchorræa ^{w)}.

§. XXII.

Facile patet, in hac gonorrhæa habituali & pertinaci non multum urgere symptomata, cum sæpe neglectis remediis & instauratae libidini originem debeat. Negligun-

^{v)} FABRE in opere citato pag. 83. & seq.

^{w)} Idem ibidem.



tur autem remedia plerumque, quando doloris absentia non invitat ad medelam, vel ab eis deforquet mordax minime futura voluptas.

Sunt tamen, qui multis usi fuere, etiam iteratis vicibus, absque integro levamine; his stillat identidem penes materiem foedam lemis viridibus linteis conspurcantem, cum urinæ difficultate magis minusve acerba: modo adeo levis dumtaxat titillatio; modo in vesicæ fundo distensionis dolor atrocissimus.

Gonorrhœa laborabat quindecim ab annis tormenti libratorum centurio, qui male curatus cereolum in urethra continere tenebatur ut exiturienti urinæ libertatem conservaret: ni eo uteretur indesinenter, stranguriam brevi, modo ischuriam patiebatur.

Alteri Corsicæ legionis centurioni depluebat identidem e pene humor parum coloratus & spissusculus; atque corpus urethræ cavernosum, aliquoties in die, circa dimidiam longitudinem ita intumescebat, ut amigdalam referret tumor, quem, ut lotio viam sternet, elidere digitorum ope tenebatur.

Hydragiosim expertus fuerat semel iterumque tertius ex equitibus Croatis, neque octodecim ab annis fluxus exaruerat. Reu habuit cum muliere sana, cui in officiis mercedem gonorrhœam communicavit.

Loquitur ill. FABRE de gonorrhœa habituali interdum suppressa cum varia virus metaftasi ^{x)}: gliscet autem illud modo glandem inter & præputium, per fistulam; modo erepebat ad ani marginem, circa quem virulentus tabus subinde destillabat; stillante rursus urethra, hæc omnia vanescabant.

§. XXIII.

^{x)} In opere citato, pag. 89. & seq.

§. XXIII.

Circa morbi nostri diagnosis apud viros non multum immorabimur: clara est satis, neque posset, nisi a medico phantasiæ potius quam judicio fervienti cum pyuria confundi.

Diagnosis apud foeminas intricior est propter leuchorræ complicationem: & quamvis omnem purulentum e genitalibus fluxum valde suspectum arguat ill. D^ARAN ^y), cum tamen omnis non sit gonorrhææ comes vel pedissequus, aliter de mulierum virtute actum esset; hic locorum qua ratione dignosci debeat complicatio, quantum potero, dicam: verum hoc opus, hic labor est.

Si tamen mulier fateatur se cum veneris nepotulo, saltem mare suspecto rem habuisse; si exinde gonorrhæam a multo tempore passa fuerit; si sui indicia dederit subinde malum, quemadmodum molesti coitus operam aut mordacis urinæ ardorem; si nihil interim passa fuerit quod abundantí leuchorræ occasionem dare potuerit, licet materiei plus satis depluat; si cancer, suis signis facile detegendus, uterum non exedat; fluxus quem experitur gonorrhæam redoleat.

Quamquam quid tam severo scrutinio opus est ad complicationem certo investigandam? modo cadat in fluxum suspicio, tractari debet ut gonorrhæa habitualis ^z).

§. XXIV.

Ast de curatione prius verba facio, quam prognosim instituerim: est autem talis.

Inter gonorrhææ habitualis varietates adsunt non paucæ, quæ ideo attentius examinandæ sunt, quoniam juxta autores plurimos iadubitatam dant lui venereæ ori-

^y) *Traité de la gonorrhée virulente*, pag. 133.

^z) FABRE pag. 93.

ginem, vel comprobant illius existentiam. Ita sentiunt de gonorrhæis ejusmodi, quas comitatur levissima inflammatio, aut quæ adstringentibus suppressæ maturius, subinde recurrunt. Hæc præprimis præpostera suppressio diris, quæ generavit, symptomatis rem toties extra omnem dubitationis aleam posuit, ut necesse non sit hac occasione auctorum monumenta evolvere.

Cæterum quæcunque sit gonorrhææ nostræ varietas; quoties diu durat, aut post curationem aliquo tempore mentitam revertitur, absque novo concubitu impuro; cuius phænomeni exempla abundant; toties suspecta esse, & syphilidem minari non immerito reputatur. Rationem dabimus infra: prius

§. XXV.

Quid præscripserint in hoc casu auctores dispiciamus.

BOTALLUS temporibus suis purgantia, sudorifera, venæficationem, balsamica, adstringentia suadebat cum victu tenui & attenuante. "Hoc modo si feceris, ait, non re-
centem tantum gonorrhæam in bonum reduces statum,
"sed etiam diuturnam \textcircled{c}).

Mera BOTALLI verba proponit in suo opere BORGARUTIUS a).

Cantharidum usum cum resinosis & adstringentibus MEAD ægrotis suis præscribebat.

Extractum cicutæ cum infuso florum sambuci & lacte adhibuit Ill. STÆRKIUS c).

§. XXVI.

Ab istorum auctorum opinione toto cœlo differt

\textcircled{c}) Vide Aphrodisiacum pag. 872.

a) Ibidem pag. 1142. 3.

b) Vide ejus monita \textcircled{c} præcepta medica, pag. 256.

c) Vide libell. de cicuta Cap. 3. pag. 250. cæteras methodos empiricas prætermitto, quas legere quivis poterit in ASTRUCCIO, pag. 270. & in Daran. Cap. 5. p. 87. & seq.

ALEX. TRAJ. PETRONII opinio; aut enim in sua gonorrhæa contumacis cura supponit mercurium antea adhibitum, aut ipsum adhuc adhibendum auctor est clinicis d).

Friktiones mercurii in gonorrhæis omnibus & præsertim inveteratis DE SAULT tempore suo jamjam administrabat e).

Mens ASTRUCCII plane eadem: nunquam enim concludit gonorrhæam habitualem periculo vacare nisi acceperit legitima hydrargirosis: ita ut si nullus mercurius fuerit antea propinatus, ipsum sane propinandum esse intelligat f). Hæc sufficiat per transfennam in hoc loco allegasse.

Non abludit ab ista medicatione III. PETITI agendi ratio; quemadmodum omnes illius de venere consultationes demonstrant: in pertinacibus gonorrhæis ad hydrargirum tanquam ad summum remedium confugiebat g).

Traducta est ad discipulum PETITI methodus, verum nonnisi partim: hac siquidem III. FABRE in gonorrhæis quibusdam inveteratis utitur, quales sunt gonorrhæa antiquitatem redolens, periodice recurrens, adstringentibus intempestive suppressa, leuchorrææ juncta h); aliæ sunt in quibus curandis mercurii usum dissuadet: num recte, hoc illud est quod paragraphus sequens declarabit. Ante tamen monebo, quod magnus SYDENHAMUS, mercurii in gonorrhæis curandis osor, nihilominus in inveteratis cum successu turbith minerale adhibuerit i), præente TURNER k).

d) In *Aphrodisaco*, p. 1349.

e) In opere ejus citato, pag. 48.

f) In opere citato, Lib. 4. & p. 4. pag. 453.

g) Vide FABRE pag. 89. 131. pag. 208. &c.

h) Ibid. p. 93.

i) In Epistola 2. respons. p. 420.

k) *Syphilis* pag. 71.

§. XXVII.

Ne corundem argumentorum assiduitate tedium moveam, quæ contra III. FABRE opinionem allatus sum, hac eadem dicta de aliis auctoribus puta, qui visi sunt mercurii usum omnino respuere vel respuant.

Quid enim causæ est cur tale remedium dedignetur in gonorrhœa habituali, quæ identidem vel ob pravum regimen, vel ob menstrua aut hæmorrhoides recurrentes, aut impurum manustuprationis negotium revertitur?

Qui hydrargirum admittit in gonorrhœis periodice redeuntibus, an potest illum repudiare, dum ab hæmorrhoidibus aut menstruis trahunt recrudescentiam? Nonne hæmorrhoides sæpe, menstrua rite ordinata semper statu tempore recurrent?

Renovari quidem potest semel aliqualis effluxus post tractatum durius penem, vel clitoridem titillatum justo libidinosius; quoniam cicatricem teneram denuo solvit rigida tentigo: verum si ex hac nova solutione depluat rarus ichor; si vulneris oræ occalefcant, ut effluxus diuturnus fiat; quidni a superstite virus repeteretur hæc diuturnitas? Vulnerculum in parte fana & corpore fano brevi per se coalescit.

Quoad instauratum stillicidium ob pravum qualecumque regimen, vel in victu, vel in motu, vel in vigiliis; non oritur illud nisi in quantum rumpitur de novo indita cicatrix. Quare autem redit in vulnus ob circulationem paulo intensiore, & omni data occasione redit? nisi quia male obducta, minus firma, hosti doloso supposita, qui lente vicina dissolvens hoc efficit ut motus naturales paulo validos ferre non possit quin cedat nimis & refricetur: ut renovatum ejusmodi effluxum cum SYDENHAMO contagii nondum devicti reliquias jure merito appellare liceat 1).

1) In Epistola ead. p. 419.

Quo autem remedio debent ejusmodi reliquiae superari?
aut quis eam materiem virulentam in aliqua parte fluidis
continuo irrorata adeo fixam excoxitaverit, quin pars ad
massam humorum, alibi deponenda, revelatur?

Haud aliter se res habet in veneno scrophulofo. Dum
tendunt ad cicatricem partes quas hoc virus aperto marte
depascebatur, bonam ægri fortunam cum laudibus suis
buccinant ore pleno chirurgi; quid tum? vix lapsæ sunt
quædam hebdomadæ, cum erumpit virus subitus latens,
& foedo hiato stillat rursus. Errasset fane quisquis illud in
intervallo penitus ablatum protulisset.

*Ergo mercurius in gonorrhœa habituali, si non adhibi-
tus ulla ratione vel copia sufficienti, primario vel demo-
adhibendus est m).*

Verum hic non subfistimus, & movenda videtur

S. XXVIII.

QUÆSTIO QUARTA.

An mercurius in gonorrhœa maligna?

Malignam appellavere auctores ejusmodi gonorrhœam
quam comitantur symptomata valde gravia, quæ in fata-
lem exitum abirent, nisi ipsis debellandis exquisita medela
adhiberetur: quin immo aliquoties cedere renuunt, quid-
quid impendat artis industria.

Sunt autem talia: ingens ardor dum lotium emittitur,
& sœpius stranguria, vel & aliquando ischuria.

Penis inflammatio valida, ut glans, tota quanta,
videatur rubore præternaturali suffusa, & ipsa etiam cor-
pora cavernosa magis minusve intumescant.

Erectio frequens cum stricatura in ulceris loco, vel pe-
nis versus partem alterutram retractione, utraque summe

m) Legendus ea de re ASTRUCCIU\$, in loco citato, pag. 453. 5. &c



dolorifica: in hac *chordata* gonorrhæa sanguis per urethram identidem post erectiones emittitur o).

Glandularum ad collum vesicæ sitarum inflammatio tanta ut aliquando cum urinæ suppressione & perinæi tumore calido totus ipse penis turgescat multum cum gangrenæ periculo & valida febris accendatur.

Non rarum est etiam in certis gonorrhæis vidisse partes urethræ vicinas in suppurationem abiisse & plurimis deinde hiatibus patere, quos urina præterfluit: his malignorum nomen fanus nemo denegaverit.

Ab horum symptomatum, modo intensa sint, parte qualibet gonorrhææ malignitatem repeti posse non opus est ut moneam.

§. XXIX.

Indicanda sunt illa, quæ mulieribus quoque competent: nimirum acutus doloris sensus in vagina & vulva; nam ad minimum motum exquisitos in istis partibus doles experiuntur: dolor autem in sessione eo magis exacerbatur, quo magis posteriora versus ruit inflammatio.

Huic dolori consociat sese ad strictionis sensus valde molestus, propter sanguineum partium infarctum, quo fit ut veneris blanditiis frui non possint; aut si ad illas rigidæ tentiginæ vulvæ incitantur, vel coguntur obsequio, dolor in genitalibus summe exasperatur.

Idem dictum puta de vario inflammationis exitu tam in mulieribus, quam in viris, cuius tamen effectus, sive gangræna oriatur, sive suppressio, a sexu quamdam diversitatem trahunt: ita impedita in egressu urina, si viam sibi per urethram paret, in vaginam delabetur: sic fæces per vulvam prodituras patet, si cum vicinis partibus glandulas Cowperi copiosa suppuratio depasta fuerit.

^{o)} In ASTRUCCII opere, p. 256.

§. XXX.

Vix unquam simplices sunt hæc gonorrhææ malignæ, sed fere semper cum symptomatis natura diversis coniunctæ; qualia sunt phimosis, paraphimosis, cristallina, cancri venerei, bubones: quæ omnia morbum nostrum profecto exacerbant.

Do tamen simplicis, licet malignæ, quoddam adfuisse exemplum; sicuti cuius pronum est causam tantæ malignitatis expiscari, ita ipsius animum explere non videtur summe operosum Si enim illa partim a virus acriori repetatur, partim ab ægri temperamento aut prævo ejus regimine, vel ab istorum omnium combinatione rite perpenfa derivetur; non dubito quin exhauriatur morbi malitiæ omnis theoria, quæ in quibusdam ægritudinibus adhuc propter ingenii humani limites inexplicabilis, longe nimis lateque apud ignaros in medicinæ campo ampliatur.

§. XXXI.

Cum ex symptomatum intensitate, numero & pertinacia dijudicetur malignitatis præsentia, gonorrhæam malignam a benigna discernere quid facilius? distinctionis normam dabit semper symptomatum intensitas, pertinacia, numerus.

Atque in hoc tamen suis ipfissimis oculis potiusquam ægri relationibus fidendum est. Quot namque dantur ægri quorum querelas audire si velles, ne dicam ejulatus, diagnosis facile obscurarent! quot videoas quos exhibere vetat partes viru infectas pudor malesanus, aut symptomatum ignorantia in confessionem erroris plenam abripit! malignitatis cum tactu judex oculus esto.

§. XXXII.

Nemini reputabitur periculi expers ejusmodi gonorrhæa quæ prædictam appellationem meruit; quin eo ma-

jus videri debet, quo magis gangrænam versus properat inflamatio.

Illud pariter, cæteris paribus, verum est ægrum in eo gravius venire discrimen, quo symptomatum caterva numerosior.

Sunt quidem inter illa quibus multum adaugetur morbi intensitas, quæ tamen negotio satis facilis solvuntur, ita ut præter operationis cuiusdam vestigia nihil remaneat: talia sunt phimosis & paraphimosis. Pertinacior visa mihi est in malitia sua gonorrhæa chordata, quam post dolores, quos parit, atrocissimos non raro excipit superstes penis incurvatio, populationi omnino nociva.

Satius tamen est ut has partes virus aggrediatur, quam si prostatæ & vesiculis seminalibus aut testibus cum inflammatione dira insideat: dum enim duplex lœditur eodem instanti functio; dum exiturire impos urina vesicæ dolores & abdominis tormenta penis doloribus confociat; quæ tum imminent maribus pericula! aut saltem quam foedis ulceribus, sanguinis, callo induratis hæc symptomata stipantur!

Quamvis mulieribus videatur in ipsis circumstantiis pepercisse natura, verum nihilominus est eas posse pariter in malignis gonorrhæis gangrænas aut suppurationes experiri spurcissimas vel labiorum pudendi, vel fossæ nivularis, vel prostatæ, vel ipsius urethræ canalis; quæ nimis tollant, eam sexui amabili reddunt intolerabilem, & ob excretionum atque excerniculorum societatem, omnino molestam.

Hifce funestis, quæ subinde contingunt, gonorrhææ malignæ reliquis addere possem omnes illas urethræ stricturnas; ulcera nunquam terminanda; fungos; glandularum vel indurations, vel erosiones aut marcorem; labiorum pudendi, nympharum, vulvæ, vaginæ excentias varias aut callos ichorofo tabo diffuentes: quæ quidem

quidem oriri cuncta possunt in gonorrhæis non ita malignis; nunquam autem certius oriunda sunt, quam dum certa cepit incrementa morbi nostri malignitas.

S. XXXIII.

Verum ad rei caput veniamus: namque si in quadam, certe in gonorrhæa maligna valde metuendum est ne graftetur intus lues venerea. Etvero miasmatis ad interanea sorptioni favere plurima quis non videt, etiam in maligna simplici; sive crescat inflammatio; propter motum circulationis celeriorem; sive mittatur sanguis; propter derivationem; sive adhibeantur resolventia; propter repercussionem; sive impendantur maturantia; propter strictorum nimis vasorum revehentium laxationem; sive assumentur in gangræna imminentे antiseptica; quoniam ut tonum dant solidis & fluidorum crasim corrigunt, sic haud pauca gangrænosi tabi miasmata retrudunt ad humorum systema; ut patet virium prostratione manifesta: quare tunc etiam virus venereum funesto sane, sed inevitabili confortio non reascenderet?

S. XXXIV.

Talis enim, ut ad singula descendam, instituitur a clinicis gonorrhæa malignæ curatio.

Pauci in primo inflammationis stadio suadent frigida & reprimientia applicari: sed a multis in primo, secundo, atque etiam tertio præscribitur venæsectio larga, multoties repetita, etiam in dorso penis celebranda p); dantur diluentia, nitrosa intus; extus adhibentur resolventia vel sola, vel emollientibus & anodinis mixta; applicantur balnea topicæ cum lacte vel mucilaginosis parata; propinrantur interdum minorativa; victus tenuis & blandus im-

p) Hanc damnat COCKBURN, utpote luis causam: in opere citato,
pag. 131. 2. s. 1. T. *ad hoc* *ad hoc* *ad hoc*

peratur. Hæc eadem in gonorrhæa sicca moris esse jam
jam superius videbamus.

Neque huc attinet, quæ de enumeratis in questione
secunda symptomatis quoad curationem proposuimus,
ea de novo proferre: addam unice quod in gonorrhæa
chordata, phimosi, paraphimosi, cristallina &c clinici
varia medicamenta præscribant, quæ videntur ad curam
symptomatum non ad causam illorum evertendam collin-
mare: injectiones lactis balanum inter & præputium im-
mittendi, & quandoque in obstinata phimosi operatio;
eadem remedia in paraphimosi cum fomentis mollissimis
& ejusdem naturæ cataplasmatibus; in cristallina non in-
flammata acetum lytargirii cum aqua dilutum, secus ca-
taplasma emolliens, quid illa hæc passim apud auctores
memorata ad tollendum virus? aquas baregianas vir cele-
bris solas commendabat q). Nulla tum in his casibus ne-
que apud SWIETENIUM neque apud plurimos fit mentio
de mercurio; quodcumque ad stadium inflammatio ma-
ligna processerit.

S. XXXV.

Verum quidem est quod in summo ejus gradu mer-
curius a plerisque non impendatur: ast quando deferbuit
symptomatum vis; ut discutiantur omnino cum causa
sua, tum imperat istius remedii usum Imm. ASTRUCCIUSS:
„cæterum ait, cum evidens sit venereas inflammationes
„præputii & balani vel a contagio dudum latente produci,
„quod sanguinem jam pridem infecerit; vel si a recens
„admisso forsan illatae sint, locum saltem dedisse ut haud
„paucia concepti contagii pars in sanguinem deduceretur,
„quamdiu inflammationis vehementia debitæ obstatit pu-
„ris deterioni; opera pretium est in utroque casu, ut
„curatio feliciter succedat & perfecta sit, morbo jam re-

q) *Mémoires de l' Acad. roy. de Chir.* T. I. p. 428. &c.

»mittente mercuriales inunctiones adhibere, legitimas
»quidem & ex artis præceptis, si certa sint luis indicia;
»leviores vero, quales jam sæpe proposuimus, si haud
»ita firma sit luis suspicio r)."

Idem remedium in chordis superstitibus & callosis
adhibendum auctor est, etiam citra luis suspicionem; fortiori si quæ sit latentis & male curatae luis suspicio.

In eodem gonorrhææ chordatæ casu mercurium quoque suadebat DEIDIERIUS s). Neque ab hac sententia deflectit Ill. GOULARDUS in phimosi, paraphimosi & cristallina; licet aquæ vegeto-mineralis usum cum unguento saturnino impense & cum paterna, ut ita dicam, pietate celebret t). Mitto alios: sed

§. XXXVI.

Illud audacter affero, qua ex parte stet vera methodus, nulli dubium esse posse in tractandis gonorrhæis aut lue venerea paulisper exercitato. Cum enim in gonorrhæa maligna dominari semper videatur virus acrimonia, cumque illud, adhibitis venæsectione & discutientibus non possit non ad interiora ferri: aut inibi hospitabitur tanquam feminum latens, postea germinandum; aut statim luis symptomata quædam exhibebit. Videas in viis ambulantes; non indigebis evolvere auctorum monumenta!

Atqui his sub circumstantiis mercurium vel parva vel larga dosi necessario subministrandum quis est qui non videt? in ancipiti enim & lubrico vel in manifesto casu quænam sunt luis aut ejus feminii antidota præter mercurium?

An si in gonorrhææ malignæ reliquiis, cum male

r) Tom. I. pag. 369. §. 160.

s) Vide ejus opus cui titulus, *dissertation & consultations sur les maladies vénériennes*, pag. 185. 233.

t) In opere citato, lege notam quæ caput de istis symptomatis terminat.

tractata fuit, adhucdum impendatur toties hydragrosis; quo tempore fluit ipsa, eodem nequaquam hydrargiro debellabitur?

§. XXXVII.

Doleo quod indefessus mercurii patronus, post institutam partis sphacelo corruptæ amputationem, divini remedii usum præterniserit: videtur siquidem mihi illius usura in hac occasione necessitatem habere ineluctabilem: qui fit enim ut gangræna præsente oriatur circulationis minutio? quod si porro talis pulsus exilitas a sorptis partibus gangrænosi jure merito partim derivetur; eodem sorptionis momento venereas partes humoribus pariter dividit nemo ibit inficias. Quæ cum ita sint, ut operatio nexcisorii scalpri subsequatur mercurii operatio jubet ipsa contagionis præsentia, & fortassis oritura lues.

Ergo mercurius in gonorrhœa maligna debet omnino impendi.

§. XXXVIII.

Ponenda nobis superest ultimo loco

QUÆSTIO QUINTA.

An mercurius in gonorrhœa benigna?

Quanvis nulla gonorrhœa proprie benigna appellari queat, cum hoc morbo quilibet cum summa voluptate careret; quia tamen malum minus relate ad malum majus bonum est, ideo & ipsa gonorrhœa talibus potest stipari symptomatis, ut si conferatur cum præcedente, benigna nominari possit. Quod de morbo in genere profertur in pathologicis, illud idem ad gonorrhœam in specie quare non applicaretur?

§. XXXIX.

In hac, de qua sermo fit, levia sunt symptomata, aut si quamdam præ se ferant intensitatem, admotis remediosis facili opera propugnantur. Dicta confirmet ipsorum enumera~~tio~~meratio.

Adest tantummodo leviusculus in urethra caloris sensus, cum inflammatione vix sensibili. Urethræ apertura versus oras non est nisi paululum rubicundior ac in statu naturali; cum transit urina, saepe non mordet, quin potius jucundam titillationem excitat: neque frequens est ad meiendum proritatio: adest etiam dolor inter penis erectionem aut levissimus aut nullus: si quæ erekcio, non a dolore repetenda, verum a venereis imaginibus aut seminis abundantia; ut verisimillimum sit ill. SHARPII systema quoad penis stillicidium ^{u)} saepissime in gonorrhœa benigna locum habere: fluxus, qui fit, non multus, non diversis coloribus variegatus; non sanguineus neque intense viridescens, potius ad flavum inclinat. Hominem tamen vidisse memini, cui absque ullo dolore fluens materia primis gonorrhœæ temporibus viridi prædicta colore emittebatur. Perstat sub hac specie coitus potentia, ut ea potissimum vigente propagari gonorrhœas dices; licet aliis de causis multiplicentur.

§. XL.

Haud aliter censendum de mulieribus, quibus datum est cum gonorrhœa benigna venereis blanditiis frui cum gaudio.

Pariter vix sentitur in vagina dolor calore præternaturalis; atque si qua in occasione possunt fibimet ipfis gratam facere fraudem, & leuchorrœam accipere pro gonorrhœa; hæc certe occasio est: non urit tentigo; non mordet urina; non lœdit in copula glans virilis; fluxus præternaturalis, a coitu brevi tempore fatis crescens, cum titillatione in vulva paululum vividiori, & flavo ut plurimum colore ludens, hoc totum est quod conqueri possunt.

§. XLI.

Quamquam symptomata consueta possunt in gonor-

^{u)} In critical inquiry &c. contendit fluxum saepe a sola irritatione produci, quin canalis urinæ exulceretur.

rhaea ad certum intensitatis gradum evehi, quin benignae nomen amittat, modo usitatis remedis facilem praebant illa victoriam: igitur aliqualis inflammatio, dolor cum tentigine, ardor inter mingendum satis mordax, levis in perinæo pruritus possunt quandoque gonorrhæam nostram comitari.

Elucescit ex predictis illorum error qui benignam gonorrhæam cum simplici gonorrhæa confundunt: potest siquidem virus varia simul conceptacula leniter irritare; tunc benigna erit, & non simplex ^{x)}: immo simplex erit simul & maligna, si partem canalis unicam summa cum activitate venenum depascatur.

S. XLII.

Minime opus est hic locorum benignitatis morbi nostri causam multum scrutari; cumque contraria contrariis debeantur juxta vetus proverbium; hinc fit ut ex §. 30. optimie intelligatur. Quia tamen temperamentis valde cholericis quandoque contingit gonorrhæa benigna affici; inde patet hanc benignitatem ut plurimum in virus acrimoniam solita minorem esse refundendam.

S. XLIII.

Ambigua fieri nequit talis gonorrhææ diagnosis, dum merum materiae purulentæ effluxum queruntur ægri, nec dolorem in unctionibus, nec urinæ morsum accusant, de sola linteorum conspurcatione folliciti.

Intricior in ejusmodi ægris videretur quos torquet acerba penis tentigo cum lotii morsu scutula, & quorum urethram ambit cum glandis tumore aliquali tumidulus & inflamatus annulus: cum tamen extra benigni morbi

^{x)} Legitur in *Réglemens des Chirurgiens*; a capite, *Traitemen de la gonorrhée simple*. Dès que l'écoulement se manifestera par les taches au linge, les ardeurs d'urine, le chatouillement au périnée, les érections douloureuses . . . lectoris fidem! an hæc symptomata sunt simplicis gonorrhææ indicia characteristica?

terminos non egrediantur hæc symptomata, ideo diagnosis nostram hæc gonorrhæa ingreditur.

§. XLIV.

Verum benigna illa quid portendit? nihil ne periculi? Discrimen quidem eo minus ingruere se cum reputat clinicorum vulgus, quo mitiora sunt symptomata: plane contrarium affirmant sani practici, ut quo benignior sit gonorrhæa, eo, cæteris paribus, sit in sua specie periculosior: si rationem quæras, hæc est, quoniam nimirum illa quam vix comitatur inflammatiuncula, facile in habitualem degenerat; veneno per lenem suppurationem difficiliter effluente y).

Ponamus nihilominus quod ea vigeat inflammationis vis quæ copiosa suppuratione virus venereum discutiat; in ea tamen gonorrhæa, quantumvis benigna, hoc erit semper discriminis, quid illud ad testes, inguina, glandulas aliove ob pravum regimen deserri possit: hinc nulla pronunciabitur expers periculi.

Procedamus adhuc longius: namque gonorrhæam, quamvis benignissimam, visa est lues venerea excepsisse, si celeb. PETITO fidem adhibeamus; & quidem post suppurationem, absque remediis ex se sola cohabitam z). Ut contra observationum testimonia loquuntur illi qui gonorrhæa benignæ luem succedere nequaquam posse audacter affirmant. Experientia rerum magistra.

§. XLV.

Atque ita porro ex falsa eorum theoria exurgit praxis in benignæ gonorrhææ curatione æque infida ac errans.

Quid vulgarius quam ejus naturæ medelam tunc adhibere, quæ symptomatis, non autem causæ prospiciat? quoniam contendunt suppurationis ope miasma auferri, idcirco ptisannas dumtaxat diluentes, nitrosas in primis

y) FABRE in opere citato pag 87.

z) Ibid. pag 50.

stadiis, & versus morbi decrementum purgantia cum adstringentibus fidentissima voce suadent.

Nuper videas hanc methodum pro illis usitatam, qui cum in veneris castris militaverint infeliciter, pro tempore patriæ militiam ejurare tenentur. Quindecim dierum spatio datur ipsis decoctum diluens, & interdum in molestis erectionibus pannum frigida aqua humidum scroto penique applicatur: dein propinatur purgans ex radice jalappæ paratum, quod remedium omnino infidum propter variam resinæ quantitatem, præterea irritans est: tandem mixtura adstringens in aqua communi ad guttas quindecim sumenda præcipitur: & ne quid in ordinandis rebus accusationi deeslet, tota curatio quadraginta assibus æstimata \S)!

Neque vero infimi subsellii patronos habuit hæc singularis medicatio: solum nominasse sufficiat SWIETENIUM & SYDENHAMUM, qui tantam in arte gloriam sibi comparaverunt. Prior post varias, quas proposuit, curandi methodos aliquando hydrargirum in gonorrhœa dedignatur; ait enim, non semper necesse esse ut adhibeantur remedia mercurialia a): quia etiam sola radice jalappæ pauperibus aliquoties subvenerat posterior, quorum tenuitati, ait, & rebus angustis domi consulendum erat; ideo hanc aphoristicam sententiam protulit: *in gonorrhœa curationis omnis cardo in remedii catharticis vertitur b)*.

A SYDENHAMO minime defecerunt chirurgi Anglæ hodierni; gonorrhœam enim, nullis aliis stipatam malis, absque ullis remediis mercurialibus sanari posse contendunt c).

Quin

\S) Réglement concernant le traitement de la gonorrhœe simple dans les régimens.

a) In opere citato, pag. 483.

b) In epistola citata, p. 418.

c) *Medical observat. and inquirys*, Vol. 2. pag. 83.

Quin remedia sibi in more posita quidam clinici sigilatum recensuerunt. Ut thermas carolinæ olim HOFMAN-NUS, ita baregianas & intus & extus adhibitas medelæ toti explendæ sufficere auctor est anonymous in medicis fama notus d).

§. XLVI.

Sed neque, ut in cæteris speciebus, ita in hac defunt mercurii adversariis sui antagonistæ, non minori laude in arte medendi venerabiles: non jam memorabo ALEX. TRAJ. PETRONIUM, cuius fententiam alibi protulimus: patuit ex ejus dictis eximium virum in omni omnino gonorrhæa ad remedii nostri usum inclinavisse.

Atvero si ASTRUCCII mentem prætermittamus, nemo non ipsam in ejus operibus requirat: quapropter operæ compendium faciamus; dum enim de altera gonorrhæa cujuscunque methodo loquitur egregius auctor, in ea „usu receptum est” ait, frictionibus mercurialibus externe uti e).

DESAULT non solum nolebat ullam gonorrhæam mercurii usu defraudari; verum etiam a primo curationis die frictionibus jamjam incumbebat f).

In usu lactis, quod in gonorrhæa optimi usus, frictiones aliquot ex pomata Neapolitana circa partes affectas adhiberi auctor est SAUVAGESIUS g).

Cum lacte frictionum usum ante illum DEIDIERIUS jam pridem suadebat h).

Hydrargirum aut ejus præparata in omnibus, absque

d) Vide *Specimen novi medicinæ conspectus*, edit. alteram, in notis ad pag. 175.

e) In opere citato pag. 266.

f) Vide *Dissertation sur les maladies vénériennes*, pag. 46.

g) In *Nosologia methodica*, Tom. 2. pag. 403.

h) In *Dissertation médicinale sur les maladies vénériennes*, p. 76.

ullo discrimine, gonorrhæis virulentis præscribit **WILLARSIUS** i).

Solis balneis & frictionibus insistendum auctor extat post experimenta innumera Ill. GOULARDUS k).

Suam curationem mixtam, id est frictiones extus, intus mercurium sublimatum corrosivum simul adhibendum contendit Ill. GARDANUS l).

Quid arcana DARANI memorem? quod sane non nisi mercurius aut præparatum mercuriale quibusdam vel purgantibus vel resolventibus, vel utrisque mixtum videbitur m): quare autem generi humano non revelatur medicamentum ab inventore tantis adornatum laudibus? quo non mortalia pectora cogis auri sacra famæ!

§. XLVII.

Quantum ad nos attinet, quare illius defectui anteponendus sit in benignissima licet gonorrhæa mercurii usus, in medium proferamus: tametsi eum administrandi causam nobis sufficiunt vel ipsi qui contra militant: hic solum Ill. FABRE liceat Ill. FABRE opponere, & discipuli assertis magistri experientiam. Dicta dein cæteris remedii nostri adversariis advenientur.

Namque etiam in hac specie luem imminere & ægrum adoriri posse lux phisiologica demonstrat; quoniam venerea miasmata etiam sub suppuratione reforberi possunt, absque pravo regimine. An puris sputator phtisicus, per tritam vasorum pulmonalium viam, non solum purulentis moleculis, verum etiam si nondum variolas fuerit expertus, variolosis inquinabitur; suppurante gonorrhæa infectus homo nihil per contagionem accipiet?

i) *Cours de chirurgie*, Tom. 4. pag. 187. 8.

k) *Oeuvres de GOULARD*, Tom. 2. pag. 63. 4.

l) In opere cuius titulus, maniere sûre & facile de traiter les malades vénériennes, pag. 69. &c.

m) In opere citato, pag. 140. 1. 2. 3.

Probe quidem novi, quid respondeat ill. Academius, per suppurationem omne miasma auferri; quæ VILLARSII & aliorum sententia fuit: sed quantumvis instet, illud unum expeto, numquid post suppurationem optimæ notæ & largam satis, & ad naturalem puris crasim reverfam, adhucdum gonorrhæa, pure resorpto, oriri possit? tunc sane suppuratio omnia nondum miasmata abstulerit: adhucdum . . .

Hæret lateri lethalis arundo.

Atqui etiam tum, præ luis metu, adstringentia sub injectionis forma vetat assumenda vir eximius; illaque tantummodo suadet intus adhibenda n). An minus stringent partem exulceratam ea ratione? aut periculum luis exinde certius removebitur?

Quid si post suppurationem ex se ipsa cohibitam in gonorrhæa benignissima, absque pravo regimine, lues tandem sese explicuerit o)?

Experientiam refutaturi experientia non pauci, stant sub ipsis circumstantiis sæpe luem nulli visam nequè toleratam . . . profecto quia ut sese suis symptomatis exhiberet, sufficiens tempus non adfuit. Juxta Celeb. PETITI mentem p), quadraginta annos ante latet sæpe, quam suis se prodat malis, lues venerea.

Ergo mercurius in gonorrhæa benigna; ac proinde, cum omnes ejus species enumerando nullam hucusque prætermiserimus, in omni gonorrhæa adhibendus est ab omnibus clinicis curandi vere scientibus.

S. XLVIII.

Nulla igitur est quæ, non dicam, mercurii usum refugiat, verum ipsius usura non egeat; ne tamen in deci-

n) In opere citato pag. 65.

o) Ibidem pag. 50.

p) Maladie des os, T. 2. pag. 466.

dendo præcepis nimis videar, vel præjudicatae opinioni serviens, quædam argumenta opinioni nostræ contraria & quidem præcipua refellere juvat antequam vela contraham. . .

Primum eruitur e COCKBURNII libro. Gloriatur III. ANGLUS sese anticipantem quamdam injectionem reperiisse quæ gonorrhæam in ipsis quasi radicibus evellit; assicurat quod illius periculum in quosdam ex utroque sexu falacissimos fecerit; quod contagium omne ab eorum corporibus inter effusissimas libidines semper depulerit: cum autem hæc non patret miracula mercurii; gonorrhæa potest curari, & quidem efficacius, absque mercurio . . . q) verum aut remedium palam exhibeat COCKBURNIUS, aut quod de agyrtis & circulatoribus, illud de se divulgari patiatur, multos fictitiis remediis famam cum quæstu aucupari. Quis bona fide existimabit inter anglos, academicum hoc sæculo extitisse tam tenui angustaque ingenii vena, ut arcanum adeo utile futurum, ne in partem flagitorum veniret, in aternas tenebras detruserit? tametsi non puto ejus remedium talis fuisse natura qualis est arcanum apud empiricos adeo celebratum; magnam nimirum quantitatatem nitri in uno aquæ haustu propinatam! nigratam vidi hac virtute arcana usum, qui pro gonorrhæa, quæ fluere incipiebat, luem pessimam reportavit.

Secundum argumentum subministrabit novitatis amor. crescit in America quædam planta, cuius nomen *lobelia*. *Gaudet caule crebro, foliis ovato lanceolatis, crenatis, & floribus lateralibus.* Hæc cæterarum plantarum aut lignorum antea in lue usitatorum virtutem superavit: itaque cum aqua pura cocta, certo, tuto & jucunde morbum intra viginti ad summum dies cum curet evacuando, sane in gonorrhæa sananda mercurio præstiterit . . . Atvero quis tanta virtutis periculum fecit intra nos? nemo: quis virtutem inesse asseruit? vir celeberrimus fide dignissimus: quis illum nominavit? aut quare nominari renuit? pace tanti viri dixerim; verebatur sane ut datam fidem posset liberare r).

Tertium suppeditabunt empyricaæ gonorrhæam curandi methodi inter quas multum jactatur alkali volatilis usus . . . mirum quantis laudibus celebratum fuerit ab inventore remedium! cuius forsitan inveniendi ratio fuit, quoniam ad animalium venenatorum morsum valde confert illud idem medicamentum s). Quæ autem hucusque aut quot patravit miracula? quæ patrare debuit in gonorrhæis curandis, humores exæstuando & inflammationem adaugendo? an, si mirandas adeo dotes præ se ferebat, ut cadit rosa vix dehiscens, ita in patrio solo tam cito, ac, ut ita dicam, natali die exolevisset?

q) In opere citato pag. 85. 6.

r) In *Commentariis SWIETENII*, Tom. 4. pag. 576.

s) Vide Ill. SPIELMANNI *Elementa chemiae*, pag. 212.

Quartum fuggeret ASTRUCCIO, & post illum plurimi; namque mercurius gonorrhæas non curat ^{t)}. Hinc gonorrhæam non esse luis symptoma, verum a diverso miasmate produci quidam fidenter asseruerunt ^{u)} . . . Proh deus immortalis! veneris nepotulus cum scorto triobolari rem habens ex eodem barathro, uno eodemque instanti luem cum gonorrhæa reportabit; gonorrhæa tum a lue diversum quid appellabitur? præterea toties morbus ille suppressus luem venereum toti corpori affricare visus est; naturam tamen peculiarem virus gonorrhœicum retinere docebitur! unicum anglis novæ adeo doctrinae auctoribus responsum esto: *nemo dat quod non habet.* Non generant imbellem feroces aquilæ columbam.

Quoad curationes mercurio non absolutas, quot omnino diversas istis opponere possem: ut mercurius visus sit centies millies morbum sustulisse! do nihilominus quod aliquoties salubri fuerit effectu destitutus; si post hydrargirofim sui indicia adhucdum dedit gonorrhæa; an venenata dedit? & illud tamen admitto fluxum non fuisse feminis simplicem, sed virulentum; non potuit virus venereum in hac parte fixius esse, dum alibi mobilius, faci iori negotio expellebatur? quare post debellata quedam symptomata, rursus ad mercurii usum redeunt, alii fest exhibentibus, chirurgi?

Quintum argumentum & quidem validum intorquent philosophi accurate considerationis amantes. Toties sublimato corrosivo, ajunt, toties panacea, pillulis KEISERI, BELLOSTII, aliis sibi propriis curant gonorrhæas medici! quare igitur usum mercurii necessarium affirmas? . . . Proh subtilitatem & astutiam!

§. XLIX.

Ne miremur itaque post spretam remedii nostri usuram tot pravas in genitalibus gonorrhœarum reliquias; quas passi fuissent nunquam miseri, si malum exercitatis clinicis propugnandum permisissent. Quot cives regno, quot filios parentibus auferunt turpes agyrtæ, dum arcanas formulas jactando consuetis armis non aggrediuntur virus venereum; sed illud blande tractando, futuros in proprio fonte nepotes interimunt!

Ne stupeamus horrenda hæc luis symptomata, quæ multis quidem a gonorrhœa labentibus armis exorta absque novo impuro concubitu, non unam dumtaxat corporis partem inclementius tractant; non unum atrocem morbum universalem generant; non unum tantummodo ægrum vexant diebus & præsertim noctibus; sed totum corpus, apud plurimos, cum occultis ægritudinibus tum manifestis afficiendo, ad in-

^{t)} In opere citato, pag. 453.

^{u)} Præter locum citatum, idem assertum videre est in opere germano idiomate conscripto, *nöthige Erinnerungen &c.* pag. 61. 2. 7.



noxiam prolem traducuntur, hoc uno hæreditaria peste affligendam, quia parentes in libidinibus effusi, dum virulentis torquebantur fluxibus, salutem in mercurio non quæsiverunt! quot scelerata ex hoc solo neglectu homicidia!

Ne commoveamur ullo modo, si in multis, quos tractamus, mōribus aliquid saepe incomprehensibile videatur quod malignum appellimus: quoties larvata ægritudo vexavit ægros, virus veneri filia, omnibus remediis cedere nescia præter mercurium; quæ autem tale medicamentum requiriisset nunquam, si gonorrhœa diu ejus ope sanata fuisset! an potest in omnibus istis circumstantiis mercurius fieri necessarius, quin a longo tempore, at veluti ab ipso morbi fonte talis necessitas incubuerit?

Ne incedat nos amplius vel levissima admiratio, si quosdam aut chirurgos aut medicos audire contingat, qui gonorrhœas sine medicamento nostro curasse sese pleno ore buccinant: quorum alii imperiti non possunt non confirmata luis symptomata expectare, si sensu communis abundant; alii autem mala fide, ut novitatis amore credulorum, crumenas emungant, se facilem in quibusdam herbis curam reperiisse gloriabantur, dum mercurium, ut cæteri, sic in usum trahunt ipsissimi x). Mendaces viri, & circulatorum nomine digni, qui veritatem cum lucro commutare non curant, dum hydrargiri vires testantur illorum mendacia,

Virtutem videant, intabescantque relicta.

§. L.

Dicat nunc aliquis: mercurii necessitatem admitto quidem, & sententiam tuam lubentissime amplector: qua autem ratione debet in usum trahi? an sub forma unguenti? an frictiones debent ad salivationem usque institui, aut præstat extinctionis methodus? num præparata mercurialia debent anteponi frictionibus, & quando? variare debent ut gonorrhœæ varietatum, sic temperamentorum ratione remedia? nonne quædam præparata præstant in uno casu, quæ data occasione diversa sunt rejicienda? quando nam mercurii usus suspendendus? quo tempore abstinentum ab illo est? . . . hæc & alia ejusdem naturæ quæsita, cum me paulo longius abstraherent, ad lætiora solvere tempora reservo.

x) Curam amici gerebat quidam medicus, qui luem se absque mercurio curare, sed cum simplicibus herbis, passim evulgabat! ostensæ mihi formulae ab amico, turpem alterius fallaciam revelarunt.

T A N T U M.



ULB Halle
008 565 791

3



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
GONORRHÆA
VIRULENTA

SUMM
GRATIOSI
PR
GRADUM, HONOR
SO
MICHAEL
EX FA
DIE VI.

A
Typis JOH. H.

